



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm XLI. Ab excommunicato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

in. Gl. ver. per literas generales, & dixi de hoc in c. 1. hoc tit.

2. **NOTANDVM II.** Licet collatio beneficiorum diocesis ad Episcopum iure ordinario pertineat, c. cum ex iniuncto 12. in fine de hæret. iure tamen speciali, siue consuetudinis, siue priuilegij, quandoque inferiori competit, v. g. Abbati, aut Capitulo, prout videre etiam est in c. cum aliquibus 4 hoc tit. in 6.

NOTANDVM III. Pontifex non tam ad ecclesiam attendit, ne vna pluribus grafijs expectatiuis grauetur: quam ad collatorem, ne vni plura talia mandata imponantur, prout Ioann. Andr. & Abb. hic annotarunt, & confirmari potest ex c. præsentis 3. de off. legati in 6.

CAPITVLVM XLI.

Ab excommunicato.

PARAPHRASIS.

Prælati quidam subditum excommunicauit, non seruata formâ Concilij Lateran. in c. sacro, de sentent. excommunicat. ubi requiritur, vt antecedit monitio canonica, causa rationabilis, & manifesta. Excommunicatus querelam detulit ad Pontificem: is rescribit, ac mandat Excommunicatori, vt hominem non motâ difficultate absoluat. Sin autem parere recuset, deputantur alij iudices, qui mandatû Apostolicum exequantur, & absolutionem impertiant. Verum in rescripto Pontificis addita fuit clausula (*si ista est*) de qua dubitatur, an referatur ad excommunicatorem, quasi is cognoscere debeat, num excommunicatio legitimè, necne inflicta fuerit; an verò talis cognitio ad iudices delegatos pertineat: & hoc posterius affirmat Gregorius IX. additâ ratione, quia cum excommunicator de proprio facto certus sit, frustra ipsi cognitio causæ committeretur.

SVMMARIVM.

1. Rescriptum directum ad Excommunica-

tores, vt absoluat excommunicatum de iniusta excommunicatione querentem, illo nolente absoluere, delegatis iudicibus. causâ ab ijs cognitâ, absolutionem mandat.

2. Ignorantia facti proprij ordinariè non præsumitur, sed alieni.

NOTANDVM I. Si excommunicatus ad excommunicatoris Superiorem de iniusta excommunicatione querelam deferat, Superior remittit eum pro absolutione ad excommunicatorem; delegatis iudicibus, qui nolente illo absoluere, causâ cognitâ, absolutionem conferant: Excepto, si periculum in mora sit: vel si excommunicatio notoriè iniusta sit: Tum ipsemet Superior hominem statim absoluat; vel declarabit nunquam ligatum fuisse, si excommunicatio non tantum iniusta, sed etiam inuvalida fuerat, iuxta ea quæ dixi in Th. moral. lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 6. Videri potest c. ad reprimendam 8. & quæ ibi dicuntur, de offic. Ordinarij, Abb. hic n. 12. & seqq.

NOTANDVM II. Ignorantia facti proprij ordinariè non præsumitur, sed alieni. Ita sumitur ex text. c. in fine. Et est hæc limitatio quædam reg. 47. in 6. prout etiam dixi in c. 2. de Constitut. & videri potest Gaill. lib. 2. obs. 48. n. 21.

CAPITVLVM XLII.

Si proponente.

PARAPHRASIS.

Aliquis modicum beneficium obtinens, ex quo sufficienter sustentari non poterat, & proponens Pontifici, se nullum beneficium habere, impetrauit rescriptum de prouisione faciendâ. Tale rescriptum subreptitium & irritum est.

SVMMARIVM.

1. Rescriptum ad beneficium, & eiusdem collatio à Papa impetrata, non factâ